



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi  
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo  
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

**Crombach, Hermann**

**Coloniæ, 1645**

Epilogus continet ardentem exhortationem ad munus Pastorale dignè  
obeundum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14591**

officij sui obligationem, vigilantiam, curamque diligentem exemplo Sanctorum Præsulum & Patrum excitaret, qui Christū venatorem seculi velut venatici canes & solertissimi multas animas Christo cum vitæ periculo vel ceperunt, vel seruarunt, ne dæmonum laqueis irretirentur: vt sic etiam aliena peccata deuitarent: sed quoniã id ipsum in fine *Tubarum* suarum disertè præstitit: quæ huc faciunt, cum ijs multi careant visum est transcribere. Facit autem ipsos cum Christo iam regnantes Pastores (in quibus & ipsum Iacobum nostrum numerari confidimus) sic mortales alloquentes, & officij serio commomentes.

*Pastores*

*in epil.  
vide exemplar.  
ad Clerum  
Germ.*

*Amor Christi Iesu & Ecclesie eius, quam suo sanguine acquisiuit, & nobis olim, vobis hodie regendum commisit, vrget nos, vt quamuis de nobis securi, de vobis tamen sumus solliciti: Graui quippe & periculoso vos munere fungi ignorare non possumus: experti scilicet ipsi, quid sit curare, ac regere animas, & tandem de cura & regimine supremo iudici rationem reddere. Sensimus & nos scopulos illos & procellas: quibus ipsi gubernatores grauius periclitantur, quam ceteri. O quam multos perisse vidimus, & indies perire videmus! Perissemus & nos, nisi diuina bonitas prauenisset nos in benedictionibus dulcedinis, &*

*min.*

mentibus nostris singularem indidisset vigilan-  
tiam, & iugum sollicitudinem: qua nos aduersus  
mille tam ardui muneris discrimina semper ve-  
lut in procinctu stare munitos oportuit. Hinc nō  
possumus non metuere vobis, conscij laborum &  
onerum, qua vobis incumbunt nec ignari malo-  
rum, & periculorum, in qua se vna cum grege  
suo coniiciunt, qui temerè hoc munus suscipi-  
unt, aut susceptum negligenter gerunt.

Nos certè olim ad Ecclesie praefecturas electi,  
honorem ex onere metientes, elegimus potius ab-  
iecti esse in domo Domini, & recumbere in nouis-  
simo loco, quam ambulare in magnis, aut tene-  
re primas Cathedras: & potius in humili esse  
securi quam in alto periclitari. Attamen iussit  
nos ascendere superius, qui suscitatur de puluere  
egenum, & de stercore erigit pauperem, & tenet  
omnia in manu consilij sui. Sed ò si videre possitis,  
quid nobis animi fuerit, quis cordis aestus, quae  
anxietas ad Ecclesie dignitatem pertractis, ipsi  
vtrique damnaritis caeca & stulta mortalium  
consilia, qui tam ardentè id expetunt, (nescien-  
tes vtrique quid petunt) quod nos tantopere  
exhorruimus, & non nisi per vim, seu coacti sus-  
cepimus. Nemo nostrum, qui non exilium, inopi-  
am, carcerem, imò mortem potius ipsam elegis-

scilicet, parendum tamen fuit vocanti & iubenti Deo, cuius imperium detrectare nefas. Ille tanquam supremus Paterfamilias vinea sua nobis culturam & custodiam commisit: unde & nos ad laborem, non ad honorem: ad negotium, non ad otium vocatos intelleximus, euellere, destruere, dissipare, edificare, plantare nostrum fuit opus, & labor continuus. Portare sane pondus dies & astum, & in sudore vultus nostri vesci pane nostro necesse fuit.

Hanc verò vineam, tam indefesso labore nostro cultam, & tot à Deo incrementis dotatam vos utpote successores nostri, velut manu à nobis traditam accepistis: Vos enim in labores nostros introistis, O felices, si & Spiritus nostri heredes, & Pastoralis sollicitudinis fueritis imitatores. Sed ve operarijs otiosis in vinea Domini, ve demolientibus, ve quoque negligenter custodientibus: quorum incuria vel pro vuis facit labruscas, vel ab apris & feris vastantibus exterminatur. Vultis consultum periculo vestro, en habetis formam nostram, & factis & scriptis nostris expressam: Hinc capiat licet normam vite vere Pastoralis, seu ideam fidelis Episcopi. O quanta sollicitudo, qua morum sanctitas, quanta virtutum perfectio requiritur, vt sit qualis esse debet.

ideft irreprehensibilis: utiq; qui talē esse iubet  
Episcopum aut Pastorem, nihil vitij inesse volu-  
it: quando & hoc solum in eo vitium est, non esse  
quam optimum. Sed neque estis securi, etsi nihil  
vobis conscij, non sufficit vobis probitas, & Inno-  
centia propria, à quibus etiam requiritur aliena.  
Et quid proderit non puniri suo, qui puniendus  
est peccato alieno? Sed quid si, qui vinea custodes  
positi sunt, ne suam quidem curent, aut custodi-  
ant? & quomodo custodient alienam? Nam re-  
ctus quidem ordo & charitas ordinata requirit,  
ut quisque propriam prius, quam alienas curare  
studeat animas: & hinc à cura sui charitas or-  
dinata recto tramite procedit, ad curam proxi-  
mi, quippe quem ad sui quisque mensuram ama-  
re precipitur; nam qui sibi nequam: cui bonus?

Propterea attendite in primis vobis, & de-  
inde vniuerso gregi, in quo vos Spiritus  
S. posuit Episcopos regere Ecclesiam  
Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Atten-  
dite vobis, quicumque opus ministerij huius sorti-  
ti estis. Attendite & pretioso deposito, quod vobis  
creditum est. Heu nimium infelices illos, qui  
nescientes dignitatem, & officium Sacerdotij  
sui, omnia alia curant tam sedulo: animas vero  
seu oves vix ponunt inter curanda! quarum ta-

men cura prima & potissima muneris sacri pars est. Quid ageris tandem, quo vos vertetis, in die illa tremenda, cum veniet Dominus positurus rationem cum servis suis: si tantum thesaurum, si pretiosum depositum illud, quod sibi Christus pretioso sanguine pretiosus iudicavit, inuentis fueritis negligentius custodisse? certe illud servandum accepistis pro quo mercator non insipiens ipsa utique Dei sapientia sanguinem suum dedit. Sed & habetis thesaurum istum in vasis fictilibus: quibus sane multo plura, quam vltis fictilibus pericula imminet.

Porro si testimonium nostrum forte minus accipitis: Ecce testimonium Dei maius est. Væ Pastoribus, inquit Dominus, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus, pascuntur. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod perierat, non requisistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Propterea Pastores audite verbum Domini, viuo ego dicit Dominus Deus, Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum: & cessare faciam

eos

eos vt ultra non pascant gregem: nec pascant amplius semetipfos.

Perutilis sermo, qui posset etiã durissima quæque corda concutere: & vtinam sit sicut stimulus & Clauus in altum defixus, in cordibus vestris.

Pascite ergo qui in vobis est gregem Dei: prouidentes nõ coactè: sed spontaneè, secundũ Deum, neq; turpis lucri gratia, sed volũtariè: neq; vt dominãtes in Clericis: sed forma facti gregis ex animo.

Boni certè Pastoris est exemplo gregem ducere, & operibus docere, & suis potius, quam alienis. Quorsum enim nostra passim gesta & exempla producitis? vt quid in nobis charitatem, zelum, vigilantiam, modestiam, abstinentiã, sobrietatem laudatis? quid vestris ouibus proderit harum in alijs virtutum commendatio, si docentes alios non docetis vos ipsos? si ne ipsi quidem vobis persuadent, quæ alijs persuadere nitimini? incipite facere, & docere, & eritis quoque similes Magistro vestro potentes scilicet in opere & sermone. Maius sanè pondus habet vita loquentis, quam quæcunque grauis & elegans oratio: at cuius vita despicitur, restat vt eius predicatio contemnatur. Cauete ergo ne opera vestra confundant sermonem vestrum, & notemini vita Pharisæorum, qui alligant onera graua, & im-

por-

portabilia, & imponunt ea in humeros aliorum, digito autem suo nolunt ea mouere. In vos omnium oculi diriguntur, domus & conuerſatio ueſtra quaſi in ſpecula conſtituta, magiſtra eſt publica diſciplina. Quidquid feceritis, id ſibi omnes faciendum putant: cauete ſolicite ne committatis, quod aut qui reprehendere volunt, dignè laeſer aſſe videantur, aut qui imitari cogantur delinquere.

Morbido capite nihil ſanum in reliquo corpore. At integritas praſidentium ſalus eſt populorum. Facile ad honeſta quauis ſequetur populus, ſi Praepoſitos ſuos viderit huc totis viribus contendere. Vultis ergo luxum, faſtum, auaritiā, crapulam, (ô peſtes Eccleſiae) aliaque nefanda vitia, qua vos vna cum populo in tot mala cladesque precipitant, eliminari? ita vos primum mores veſtros priuatim publiceque cõponite, vt in ijs partem appareat, huiusmodi vitiorum deteſtatio, e contra amor ſimplicitatis, zelus Dei, ſobrietas, modestia, ac vanitatum contemptus reluceat. Sic demum redibit exul & profuga, diuque deſiderata pax, ſi populus proſtigatis vitijs, & abuſibus cum Deo in gratiam redierit, id quod fieri nequit ſine vobis, qui vt duces praere debetis. Sed quomodo inter homines ſtabilis pax coaleſcere



aut constare queat, quos à Deo Pacis auctore impietas, morum corruptela, disciplina neglectus & tot abusus auertunt? Non mirum infeliciter vos sapius contra hostes pugnare; quando ipsa vos peccata vestra peius impugnant.

Hortamur vos tandem & obtestamur per viscera charitatis Dei nostri, per salutem vestra, per spem, quam habetis in Christum Iesum, qui & per ultimam tubam, qua vos omnes, & nos pariter citabit ad tribunal supremi iudicis, si nostram imo si Dei vocem audieritis nolite obdurare corda vestra; nec sicut aspis surda, obturetis aures vestras, & obsurdescatis ad vocem incantantis sapienter: sed audientes audite, & apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis, cum exarserit ira breui ira eius: quod utique metuendum illis, qui sedent in cathedra pestilentie, id est qui enarrant iustitiam Dei, & assumunt testamentum eius per os suum: Interim verò ipsi oderunt disciplinam & sermones Domini proijciunt retrorsum. O terribilis Deus super filios hominum! ô iudicium durissimum quod his, qui præsumunt fieri! ô tormenta quæ potentes potenter patientur. Sapite, intelligite, & nonissimaprovidete, & horum semper memores, sic  
pas-

*pascite greges vestros*, vt cum apparuerit Princeps Pastorum percipiatis nobiscum immarcessibilem gloriæ coronam.

Huc vsque Iacobus: cuius parænesi quisquis au' cultarit, nã ille verus Christi canis venaticus funibus amoris ei deuinctus, non solum casses euadet dœmonis; Sed etiam Apostolico spiritu feruidus sagaciter rimabitur & peruestigabit odoratu latentes feras in antris & cauernis turpitudinis, in præruptis honorum & ambitionis cæcæ petris & montibus: vel in dumetis & spinis opum, easque latratu territas, & excitas captasque sistet venatori Christo, nec sinet amplius laqueis dœmonum implicari: quod tamen exemplo vitæ, quam vocis sono facilius consequetur.

Eodem Spiritu ductus Iacobus cum cerneret vt à capitis virtute, & optima constitutione totius corporis mēbrorū vigore sic ab Episcopi vigilantia, & sanctitate Cleri disciplinam & mores dependere, formam præsulum vitæ tam in vita S. Caroli Boromæi commentario illustranda, quam in alio libello quem *Zelum domus Dei* nominabat adumbrare voluit: cuius operis indicem capitum attexere visum est, vt Episcopi Germaniæ, quibus consulere volebat quam optimè, videant quæ præcipuè sint ipsis consideranda.

In-